

misti ex ea parte, qua est reale: *Communis*. Licet enim votum mistum ex ea parte, qua est personale, debeat necessario adimpleri per personam voventem, et non possit exsequi per alium ex dictis supra n. 44, adeoque nec transeat ad hæredes ex dictis supra n. 46; potest tamen per alium adimpleri ex ea parte, qua est reale, ut fatentur omnes doctores, adeoque si quoad dictam partem non fuit adimpletum a vovente, ipso defuncto, debet adimpleri ab ejus hæredibus per eandem rationem adductam, n. *antede-* *dent.*, de obligatione voti realis. Unde mortua persona, quæ vovit, v. g. peregrinari Lauretum, et ibi lampadem argenteam offerre, licet non transeat ad hæredes obligationis talis peregrinationis, utpote solius voti personalis, transit tamen ad ipsos obligationis dictæ lampadis argenteæ, utpote voti realis.

(49. Hæres non tenetur solvere vota defuncti ultra vires hæreditatis, sed cum proportionem ad illa: *Communis*. Hinc potius solvendi sunt sumptus funeris: *Communis* per text. in l. *Scimus* xxii, § 9, cod. *De jure deliberandi*; l. *Et si quis* 14, l. *Impensa funeris* 45, ff. *De religiosis et sumptibus funerum*; deinde solvendum est omne æs alienum juxta ordinem traditum sub verb. *Restitutio*, art. 4, a n. 29, usque in finem. Ex post ante vota solvenda est legitima descendentibus, aut ascendentibus defuncti debita: descendentes enim, et ascendentes defuncti non tenentur ad solvenda vota per illum testamentum emissa, si inde gravetur eorum legitima; quia jura declarant omnia gravamina bonis a testatore apposita in præjudicium legitimæ, sive interim fiant per vota, sive per legata pia, nullius esse roboris, leg. *Quoniam* 32, cod. *De inofficioso testamento*, cum similibus. (50. Et solum post solutionem totius æris alieni et legitimæ, solvenda sunt vota; et ratio est, quia vota non debent solvi ex ære alieno, sed ex ære et bonis ipsius voventis; æs autem, et bona cujuscunque censentur solum quæ supersunt, deducto ære alieno l. *Mulier* 72, juncta Glossa, verb. *Alieno*, ff. *De jure dotium*. Debent tamen præferri vota legatis, cum hæc sint libera, et gratiosa, et illa sint obligatoria, ut tradunt communiter doctores. Si autem soluto ære alieno, hæreditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum, aut alterum, et alia omitenda, sed singula pro rata; cum enim omnia æqualiter ex virtute religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri præferatur, idemque est in legatis, arg. l. *Privilegia* 32, ff. *De rebus auctoritat. judic. possidend.*, l. *Si hominem* 7, § 3, ff. *Depositum*, l. *Pro debito* 6, cod. *De bonis auctoritat. judic. possidend.*

(51. Votum conditionale non obligat, nisi impleta conditione. *Communis*; actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Sub conditione* 3, instit. *De verb. obligat.*, et l. unica, § *Sin autem*, cod. *De caducitat. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque

ad eventum conditionis; l. *Is, cui*, ff. *De actionibus et obligationibus*, l. *Legata sub conditione*, ff. *De condit. et demonstrat.*

(52. Peccat autem graviter vovens, si malitiose per fraudem, vim, aut dolum impediat positionem, seu adimplentionem conditionis, ne voto obligetur; *Communis*, per Jura num. seq. adducenda: vovens enim vovendo obligavit se virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne frustraneum esset votum. (53. Insuper tenetur probabilius votum exsequi non minus, quam si conditio impleta fuisset; Richard., in 4, dist. 38, art. 5, quæst. 3; Angelus, verb. *votum* 1, § 10; Navarrus, cap. 12, n. 42; Azorius, lib. xi, cap. 20, qu. ult.; Sanchez, lib. iv, cap. 23, n. 47; Henno, tom. I, tract. in *Decalog.*, disp. 2, qu. 3, art. 7, concl. 1, et tredecim citans, probabilius suadet Diana part. iv, tract. 4, resolut. 101; Sporer, *loc. cit.*, n. 147, ubi dicit communiorem, et sine dubio tutiorem esse hanc sententiam; et sic alii plures, per text. in l. *In executione* 85, § ff. *De verb. obligationib.*, ibi: « Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur, » et c. *Cum non stat* 66, De reg. juris, in 6, ibi: « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset: » et ratio est, quia fraus et dolum nemini patrocinari debent; cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia, ibi: « Nos attendentes, malitiam et dolum nulli patrocinari debere, » cap. *Sedes* 15, De rescriptis, ibi: « Quia fraus et dolum ei patrocinari non debent, » cap. *Ex tenore* 16, eod., ibi: « Quia fraus et dolum alicui patrocinari non debent, » cap. *Tuæ* 12, De clericis non resident., ibi: « Cum fraus et dolum nemini debeant patrocinium impartiri, » l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, ibi: « Neque malitiis indulgendum est, » l. *Cum hi*, ff. *De transactionibus*, ibi: « Non debet via aperiri malitiis, » l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis. » Tum quia, ut fatentur ipsimet adversarii, quando homo homini promisit sub conditione, tenetur promissionem implere, si malitiose conditionis eventum impedivit, ergo etiam sic quando promisit Deo. Hinc qui vovit religionem, si pater consenserit, si Deus integram sanitatem restituerit, et hujusmodi, sed postea penitens voti, dolose falsis allegationibus patrem circumvenit ut contradicat qui alioquin non contradiceret, studiose, et malitiose intemperanter vivit, et refugit medicamentane recuperet integram sanitatem quam alioquin faciliter recuperaret, et alia hujusmodi malitiose et dolose peragit ad impediendam voti conditionem, ne ipsa adimpleta religionem ingredi teneatur, is adhuc tenetur votum exsequi, et religionem ingredi, non minus quam si conditio impleta esset; sicuti cum quis promisit alicui centum scuta, si ad domum suam perrexerit, si is ingredi volens, ab illa per vim vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus est, ac si ingressus fuisset.

(54. Votum conditionale, adimpleta conditione, evadit absolutum, adeoque posita conditione stricte obligat, ac si fuisset absolute emissum: *Communis*, arg. citatis juribus, supra n. 51. Et ratio est, quia votum illud præcise pendet a conditione, ut fiat absolutum, ergo cum ponitur, seu adimpletur conditio, obligat eodem modo, ac si fuisset absolute emissum, et ideo non requiritur novus consensus, seu nova intentio ad inducendam obligationem: hinc vovens religionem, susceptionem sacrorum Ordinum, peregrinationem, donationem calicis, lampadis, etc., alicui ecclesiæ, si naufragium, vel incendium evaserit, si sanitatem recuperaverit, etc., tenetur vitato naufragio, vel incendio, sanitate recuperata, etc., ad illorum executionem.

(55. Votum pœnale obligat posita culpa, alias non: *Communis*. Et ratio est, quia voti obligatio sequitur intentionem voventis, qui voluit sibi imponere pœnam propter solam culpam, et non alias, adeoque, etc. Hinc qui vovit jejunium, si se inebriaverit, posita ebrietate, tenetur jejunare, secus autem, si se non inebriaverit. Sic qui vovit dare eleemosynam, si luserit, posito lusu, tenetur eleemosynam dare, secus autem, si non luserit, et sic de similibus.

(56. Votum pœnale emissum sine determinatione quoad numerum pœnæ solvendæ, si pœna solvenda sit ex ordinariis, quæque iterari solent, intelligitur solvenda toties quoties fiat transgressio. Unde qui, v. g., vovit jejunare si se polluerit, moderatam eleemosynam dare si luserit, et hujusmodi, obligandus est toties, quoties se polluerit, vel luserit. Si autem pœna solvenda sit ex gravioribus extraordinariis, quæque ordinarie iterari non ita solent, intelligitur solum in prima transgressione, et non in sequentibus. Unde qui, v. g., vovit peregrinari Compostellam, si fornicatus fuerit, et hujusmodi, obligandus est tantum prima vice; sic Tamburin., lib. iii, cap. 12, § 7, n. 2; Sanchez, lib. iv, cap. 22, n. 21; Diana, part. vii, tract. 9, resolut. 60; Sporer, *loc. cit.*, n. 155; Henno, *loc. cit.*, concl. 2, resol. 5; Castropal., tract. 15, d. 1, p. 18, n. 6; Layman, *loc. cit.*, cap. 5, n. 4, et alii plures. Et ratio est, quia præsumitur rationabiliter, talem fuisse mentem voventis: non est enim verisimile voventis intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties, pœnas graviores, atque insolitas, uti est tam longa et laboriosa Compostellana peregrinatio, uti econtra verisimile est ejus intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties pœnas leviores, et solitas, uti est jejunium, moderata eleemosyna, et hujusmodi.

(57. Votum emissum cum intuitu ad certum tempus, seu ob specialem devotionem talis temporis debet omnino adimpleri tali tempore, et si eo tempore non adimpleatur, quamvis peccet graviter, vel leviter pro ratione materiæ, obligatio tamen voti prorsus extinguitur, ita ut vovens non teneatur amplius illud adimplere; *Communis*. Et ratio est, quia tale tempus censetur præfixum

et determinatum ad finiendam obligationem dicti voti. Cum enim dictum votum per modum unius copulatiæ comprehendat et rem promissam, et hanc circumstantiam temporis velut intrinsecam voto, transacto illo tempore, tota obligatio cessat, ex quo non sit amplius possibile votum adimpleri cum illa circumstantia dicti temporis jam transacti, quia impossibile nulla est obligatio; l. *Impossibile* 185, ff. *De regul. juris*, et cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6, ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari. » Hinc qui vovit jejunare die Veneris, ob specialem devotionem passionis Christi; audire sacrum die Sabbati, ob devotionem B. M. Virginis; jejunare vigiliam, et festare diem sancti Rocchi, seu sancti Sebastiani ob patrocinium contra pestem, etc., transacto tali tempore, cum, aut sine culpa, cessat omnino obligatio, cum in supradictis tempus, et dies censeatur determinari ad finiendam obligationem, ita ut si eo die negligatur, altero die suppleri, nec debeat, ne possit.

(58. Si tempus votum adimplendi determinatum sit non intuitu ad ipsum, nec ob specialem devotionem talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi, tunc censetur præfixum solum ad non differendam obligationem, at non ad ipsam finiendam, sicque eo tempore cum, vel sine culpa, elapso absque impletionem voti, adhuc manet obligatio illud adimplendi: *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu res voto promissa, et circumstantia temporis non voventur per modum unius, et copulatiæ, uti in antecedenti numero, sed per modum duorum, et sunt virtualiter quasi duo vota, nempe de tali re faciendâ, et de tali tempore faciendâ, adeoque, quamvis transacto tempore, impossibile sit servare eam circumstantiam temporis, adhuc tamen remanet obligatio rei promissæ principalis, cum possibile adhuc sit juxta naturam dicti voti illam adimplere. Et colligitur clare ex l. *Celsus* 23, ff. *De receptis arbitris*, ubi habetur: « Jussum dare pecuniam certo tempore, duo præcepta habere, unum dandi, et alterum eo certo tempore; ac proinde transgressorem posterioris adhuc teneri ad prius. » Hinc qui vovit ingredi religionem intra annum, visitare proximum sanctuarium intra mensem, confiteri intra hebdomadam, etc., elapso cum, vel sine culpa, illo termino, adhuc remanet obligatus ad votum adimplendum, cum non fuerit determinatum dictum tempus ad finiendam obligationem, sed solum ad præscribendum terminum, ultra quem non differatur talis obligatio.

(59. Qui vovit aliquid facturum certo tempore, v. g., jejunare bis hebdomada sequenti, licet postea prævideat dictum votum non posse ob aliquod impedimentum implere tali determinata hebdomada, non tenetur prævenire, quia obligatio est affixa tempori, quod necdum est inceptum: si autem jam inceptum sit tempus obligationis, nempe dicta hebdomada, et prævideat in fine fore impedimentum ad jejunandum, tenetur

prævenire, quia jam est in tempore obligationis, sicut qui die festo prævidet circa meridiem fore impedimentum ad audiendum sacrum, tenetur mane prævenire. Ita Suarez, lib. iv, cap. 10, n. 7; Layman, *loc. cit.*, cap. 3, n. 5; Tamburin., *loc. cit.*, cap. 12, § 3, n. 2 et 3; Felix Potest., tom. 1, part. II, n. 1847; La Croix, lib. VIII, part. II, num. 444, cum Sanchez, Bonac. et aliis ibi citatis, et alii.

(60. Votum sine temporis determinatione aut præfixione emissum adimpleri debet cum primum commode potest, *Communis* cum S. Thoma, 2-2, qu. 88, art. 3 ad 3, et qu. ult., art. 3, et desumitur clare ex cap. XXIII *Deuter.*, ibi: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; et ex leg. *Promissor*, § 1, ff. *De constituta pecunia*, ibi: « Si sine die constituas... confestim agi tecum poterit, si statim, ut constituisti, non solvas. » (61. Ly autem cum primum, seu statim non est intelligendum physice, sed moraliter, nempe data temporis opportunitate, et occasione juxta prudentis arbitrium, arg. cit. l. *Promissor*, § 1, juncta Glossa, *ibid.*, ff. *De constituta pecunia*, l. *Ratum*, ff. *De solution.*, l. *Continuus*, § *Cum ita*, ff. *De verb. oblig.*

(62. Causa sufficiens differendi adimpletionem voti sine certo præfixo tempore facti, est, si adsit spes ut votum postea commodius, utilius, et maxime devotius impleatur, seu ad id concurrat publica necessitas, aut utilitas. *Communis*. Hinc qui vovit ingredi religionem, licite expectare potest donec ætate, et viribus corporis provector ad ordinis asperitates, et labores perferendos sit aptior, aut donec necessariis scientiis imbuatur. Qui vovit eleemosynam notabilem dare pauperibus, expectare potest tempus majoris necessitatis. Qui vovit peregrinationem ad aliquod sanctuarium, expectare potest usque dum festum aliquod incidat, aut opportuna occasio se offerat; et sic de similibus, in quibus omnibus concurrente publica necessitate, aut utilitate, licite, ipsa durante, differtur voti adimpletio, arg. c. *Non est* 5, De voto et voti redemptione, ibi: « Non est voti dicendus transgressor, qui quod vovit auctoritate Sedis Apostolicæ (legitima ex causa) distulit adimplere. »

(63. Habita opportunitate omnimoda adimplendi talia vota sine certo præfixo tempore facta, ulterius absque rationabili causa scienter differre semper est peccatum. *Communis*, per cit. text. *Deuter.* XXIII, ibi: *Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. (64. Quandoquidem autem sit peccatum mortale, vel veniale? Incertum est apud doctores, qui tamen satis communiter concludunt culpabilem et irrationabilem dilationem adimpletionis votorum perpetuorum, ut ingrediendi religionem, sacros ordines suscipiendi, perpetuo jejunandi, etc., citius ad peccatum mortale pertingere, quam dilationem votorum solummodo temporalium, ut dandi certam eleemosynam, peragendi

aliquod jejunium, assumendi aliquam peregrinationem, etc. Et ratio est, quia vota temporalia dilatione non minuuntur, sed quocumque tempore præstantur, semper integre præstantur, semper enim integre præstat promissa eleemosyna, promissum jejunium, promissa peregrinatio. E contra vero vota perpetua dilatione minuuntur, quia cum vovens vi voti religionis, sacrorum Ordinum, et jejunii perpetui obligetur Deo servire usque ad mortem in religione, sacris Ordinibus, et jejunio, quantum differt votum, tantum detrahit de tempore serviendi, et jejunandi, et consequenter de voto.

(65. Unde in votis perpetuis attendenda est ætas vovens. Si enim vovens, v. g. religionem sit ætatis 15, vel 16 annorum, dilatio ingressus sine rationabili causa ad tres, vel quatuor annos, non erit culpa mortalis, si absit periculum deficiendi a voto. Si autem sit ætatis 25 vel 30 annorum, talis dilatio ad tres, vel quatuor annos erit culpa mortalis. Imo si excederet annum 40, erit mortalis dilatio ingressus sine rationabili causa, et habita omnimoda opportunitate, etiamsi fiat solum ultra sex menses: Tamburin., lib. III *Decalog.*, cap. 12, § 3, n. 10; Sporer, *loc. cit.*, n. 116 et 117, cum aliis ibi citatis, La Croix, lib. III, part. I, n. 446; ubi cum Castropal. insuper dicit probabiliter universaliter fore mortale, si sine causa differatur votum religionis ad sex menses. Et ratio nostræ conclusionis est, quia tres, vel quatuor anni si demantur a servitio totius vitæ ab adolescentia usque ad senectutem, sunt parva materia, non sic autem si demantur ab ætate perfecta, et virili, v. g., triginta circiter annorum: tunc enim tres, vel quatuor anni sunt materia notabilis, et sufficiens ad mortale peccatum, uti etiam sunt sex menses in excedente annum quadragesimum.

(66. Votis autem temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, dilatio etiam per longa tempora non erit mortalis, nisi eousque scienter, et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis, vel omissionis omnimodæ: Tamburin., *loc. cit.*, n. 10, cum S. Antonino apud Sanchez, lib. III *in Decalog.*, cap. 14, n. 21; Sporer, *loc. cit.*, n. 116, cum aliis ibi citatis, et alii plures. Et ratio est, quia nemo, cum dat totum, quod promisit, et nullum damnum ex mora creditori, vel promissario facit, condemnandus est de gravi culpa, sed solum de levi negligentia. In prædictis autem votis ut supra expressis post quamcunque dilationem, secluso periculo oblivionis, aut omissionis, adhuc vovens dat totum, quod promisit, neque ex illa dilatione, seu mora ullum damnum facit Deo, cum sit dispar ratio de creditore humano, cui semper fere officit dilatio longa debiti, adeoque dilatio adimpletionis votorum temporalium in sensu conclusionis non erit culpa gravis, sed levis. Imo neque esset culpa levis, si adesset rationabilis causa sic differendi.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Deuter. XXIII, hæc habentur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Vide atque considera verba ista: *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Dices ne, moram in solvendis votis culpabilem non esse? Si culpabilis mora est, ut Scriptura testatur, ergo arbitraria dilatio culpæ non erit expers; ergo notabilis mora, seu dilatio, ut notabilem negligentiam, ita notabilem culpam præ se fert; ergo dilatio per longa tempora, sine causa ulla, mortalis erit. Nec levis dici negligentia potest, dum homo per longa tempora differat ea Deo dare, quæ liberrime eidem voverat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Etiam ego ultro admitto, dilationem per longa tempora sine causa, mortalem esse, si tempus certum determinatum fuit, vel si ex notabilis negligentiae mora periculum subsit nunquam illud adimplendi, aut si votum perpetuum Dei obsequium continens, ut religionis ingrediendæ, suscipiendi sacros Ordines, quotidie Missam audiendi, perpetuo serviendi xenodochio, et hujusmodi, quia in his notabilis, et longa dilatio tandem mortalis est. Quo enim diutius quis differt, eo plus aufert de obsequio Deo devoto. Non sic autem de votis temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, nisi eo usque scienter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis vel omissionis omnimodæ, ut loquitur mea conclusio. Et convenire videtur etiam Concina ipse, lib. IV *in Decal.*, diss. 2, *De voti obligatione*, c. 3, n. 3, in fine, sic expresse dicens: « Ea vero, quorum observatio non decrescit ob temporis dilationem, majus temporis spatium quoad executionem admittunt, ut sunt vota peregrinandi ad domum Lauretanam, erogandi in eleemosynam centum aureos, et id genus alia, quia sive hoc, sive futuro anno ea exsequaris, tantumdem cultus Deo semper reddis illorum executione. » Hinc non tam facile dicenda est mortalis illa dilatio, nisi, ut trado ego, eousque scienter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum illa adimplendi. Sanctus enim Thomas, *Quodlib.*, q. 7, art. 15, in corp., sic expresse advertit: « Respondeo, dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur. »

(67. Qui generatim et indeterminate religionem vovit, potest quamlibet minus strictam eligere, et si nulla moderata religione recipiatur, non tenetur ingredi strictissimam, v. g. Chartusianorum, quamvis facile esset recipiendus, si talis non fuit sua intentio, seu ex circumstantiis et qualitate vovens, utpote quia delicatus et ab asperitatibus abhorrens, et hujusmodi colligi possit non fuisse ejus mentem etiam ad si-

miles strictissimas religiones se obligare, argum. cap. *In generali concessione* 81, De regulis juris, in 6, et leg. *Obligatione generali* 6, ff. *De pignoribus*. In generali enim concessione, promissione et obligatione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, aut promissurus, vel se ad illa obligaturus: Sanchez, lib. IV *Moral.*, c. 16, n. 49; Silvester, verb. *Religio* 2, q. 16; Angelus, verb. *Votum* 3, § 10; Richard, in 4, dist. 38, art. 1 ad 2; Layman, lib. IV, tract. 5, cap. 6, n. 1, verb. *Resolves secundo*; Sporer, *loc. cit.*, n. 175 et alii passim.

(68. Item si talis vovens non recipiatur ad religionem, nisi ut maneat laicus, seu oblat, aut conversus, non tenetur ingredi, si id ipse non intenderit, aut ex qualitate personæ colligi possit, utpote quia nobilis, delicatus, ingenio pollens, scientia imbutus, et hujusmodi: Sanchez, *loc. cit.*, n. 55 et seq.; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Resolves tertio*; Sporer, *loc. cit.*, n. 159, et alii.

(69. Item si talis vovens in sua civitate, vel provincia non recipiatur, non tenetur adire provincias extraneas cum gravi suo incommodo, si talis non fuit sua intentio, aut ex qualitate personæ colligi possit suam intentionem eousque se extendisse, utpote quia inops, debilis, extraneæ linguæ imperitus, etc., et præsertim si persona vovens sit femina, cui peregrinari incommodum, et indecorum sit: in feminis enim religionem vovens regulariter est intentio solummodo se obligandi ad monasteria vicina, ubi cognatorum et amicorum facultas, aut aliæ commoditates suppetunt; Sporer, *loc. cit.*, n. 158; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Ex hoc fundamento*, cum Cajetano, Soto, Aragonio, Navarro et Sanchez ibi citatis, Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1838, dicens, quod qui vovit religionem, non tenetur omnes adire, si ab una, aut altera respuatur, sed aliquot, puta tres, aut quatuor, et tunc si respuatur, est liber a voto, sicuti etiamsi unam ingressus, ejiciatur. Tancred. et Bussemb., apud ipsum.

(70. Item si talis vovens non recipiatur in religione, ubi vigeat observantia, non tenetur, imo nec licite potest ingredi Ordinem, seu monasterium, cujus regularis disciplina ita collapsa sit, ut ne substantialia quidem vota inibi observentur; imminet enim ipsi potius, quam commoditas conversionis, periculum perversionis: Cajetan., in 2-2, q. 88, art. 3, § *Sed quid talis*; Sporer, *loco cit.*, n. 160; Layman, *loc. cit.*, num. 5, cum Navarro, Sanchez, Rodriquez, Valentia, Lessio ibi citatis, et alii.

(71. Item si talis vovens non recipiatur in religione claustrali, non tenetur ingredi religionem equitum militarium; intentio enim religionem vovens solet referri solum ad religionem claustralem, in qua regularis in communi fratrum conventu vigeat observantia, quales non sunt militarium equitum ordines, qui quamvis regulares sint, eorum tamen alumni potius more sæcularium vivunt, nec claustralem vitam servant: Lay-

man, *loc. cit.*, num. 2; Sanchez, *loc. cit.*, num. 71, et alii. (72. Imo talis vovens neque satisfaceret voto suo, ordinem equitum militarium ingrediendo, si posset ingredi ordinem regularem claustralem, ut docet Layman, *loc. cit.*, n. 2, vers. *Ex quo*; Sanchez, *loc. cit.*, cap. 16, n. 12, et alii, et clare deducitur ex declarationibus sacrarum congregationum, volentium quod regulares, habentes indultum Apostolicum transeundi ad quamcunque religionem etiam laxiorem, nequeant transire ad ordinem militare, nisi expresse concedatur: sic sacra congreg. Episcop. et Regular. 7 Novembris 1397; apud Pignatell., tom. IX, consultat 170, n. 9, vers. *At his*, ut refert Card. Petra, tom. IV *Comment. ad Constit. 8 Eugenii IV.*, n. 25, ubi insuper refert sac. congreg. Conc. in Mantuana 30 Augusti 1698, denegasse transitum etiam ad religionem S. Spiritus, et in Cajetana 24 Martii 1703, declarasse nullum transitum ad religionem canonicorum regularium S. Antonii Viennensis; et idem tom. V *Comment. ad constit. 3 Callisti III.*, n. 12, refert eandem sac. congr. Conc. in Bituntina 23 Junii 1714, censuisse non esse concedendum indultum transitum ad militares, seu ad Hospitalarios S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis.

(73. Qui determinate vovit certam aliquam religionem, v. g., determinate religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, et hujusmodi, si principaliter et absolute intendit vovere religionem, et solum secundario dictam religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, non liberatur a voto, quamvis non recipiatur in dicta speciali religione, sed debet serio petere, ut ad alium ordinem admittatur; si vero principaliter intendit dictam specialem religionem ob specialem affectum ad illam, sicutque religionis ingressum non absolute per se, et in sensu diviso, sed omnino copulativum, seu in sensu composito cum dependentia a tali speciali religione promisit; tunc serio petens, et serio ab ea speciali religione repulsus, liberatur omnino a voto. Sic S. Thomas 2-2, quæst. 88, art. 3 ad 3; S. Antoninus in part. III, tit. 16, cap. 2, § 4; Layman, *loc. cit.*, n. 3, vers. *Dico secundo*, cum Abulensi, Silvestro, Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Sanchez, Suarez ibi citatis, Sporer, *loc. cit.*, n. 171, testans de communi. (74. Et si a tali speciali religione semel atque iterum solum constantiæ probandæ causa fuerit repulsus, non liberatur a voto; ac, si postea religiosi, mutata voluntate, parati sint eum recipere, obligatur voto ad ingrediendum: Sanchez, *loc. cit.*, n. 70; Lessius, lib. II, cap. 41, dub. 5, n. 45; Sporer, *loc. cit.*, n. 161; Layman, *loc. cit.*, n. 4, et alii, qui tamen excipiunt, nisi interea notabilis mutatio facta fuerit sine fraude voventis; ut si interim disciplina sit collapsa, monasterium destructum, si vovens interim desperans receptionem bona fide aliam religionem ingressus fuerit, vel sponsalia inierit.

(75. Qui vovit determinate ingredi unam religionem laxiorem, valide et licite ingre-

ditur aliam strictiorem: *Communis*, arg. cap. *Licet* 18, De regularibus. (76. E contra autem, qui vovit determinate ingredi religionem strictiorem, et observantem, quamvis valide, non tamen licite potest ingredi et profiteri laxiorem, et si ingrediatur, est ei salutaris, et congrua pœnitentia imponenda: *Communis*, textu expresso in cap. *Qui post votum* 5, De regularibus, in 6, ibi: « Qui post votum a se de certa religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, et profitetur in ipsa, potest (voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem; pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. »

(77. Qui absolute religionem vovit, intentionem suam non satis exprimens, sed dubius manens, an voluerit se obligare solum ad ingressum et probationem, an vero etiam ad professionem, præsumendus est se voluisse solum obligare ad experiendum, non item ad profitendum absolute: Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 16, n. 86; Suarez, lib. IV, *De voto*, cap. 8, n. 7; Layman, *loc. cit.*, n. 12, vers. *Dico* 2; Sporer, *loc. cit.*, n. 163, ubi testatur sic docere communem et securam sententiam doctorum contra Navar. et Rodrig.; et ratio est, quia vovens ingredi religionem censendus est et interpretandus in dubio vovisse ingressum secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, an ipsis expediat inibi eam profiteri, cap. *Gonzaldus* 17, quæst. 2, cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus; concil. *Tridentin.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 15, et expresse docet S. Thomas in 2-2, q. ult., artic. 4, in corpore, ad finem; omnis enim dispositio simpliciter concepta vestitur a jure communi, et ad illius intellectum est redigenda l. 2 cod. *De nozal.*, leg. *Quæro*, § *Inter locatorem*, ff. *Locati*, cap. *Causam quæ*, De rescriptis, et cap. *Quemadmodum*, Jurejurando. Tum quia votorum obligatio est strictæ interpretationis, et benignæ in favorem voventis: quare sicuti in dubium, utrum aliquis simpliciter voverit, censendus est liber, ita etiam in dubio, utrum aliquis unum solum, an vero duo voverit, nempe et ingressum, et professionem, censendus est liber ab altero, de cujus obligatione dubitat, adeoque, etc. Et sic etiam tenet cum aliis Fagnanus, lib. III *Decretal.*, in cap. *Porrectum* 13, De regularibus, n. 58, ubi ex verbis S. Thomæ, *loc. cit.*, sic expresse habet: « Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit absque eo, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenentur perpetuo in religione permanere. »

(78. Qui sic religionem, ut supra, vovit, debet eam sincero animo ingredi, ac se accommodare moribus religionis cum proposito perseverandi et profitendi, si eam sibi

convenientem expertus fuerit; alias voto non satisfaceret, si ingrederetur animo egrediendi, quia esset collusio; est enim hoc discrimen inter eum, qui sine voto, et eum qui cum voto religionem ingreditur, quod ille potest saltem quoad Ecclesiam ex sola ratione libertatis exire, per text. in cap. *Cum scimus* 14, De regularibus, ibi: « Quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, » cap. *Statuimus* 23, eod., ibi: « Ante professionem emissam ad priorem statum redire posse libere infra annum; » et ad summum peccat solum venialiter ob animi levitatem et inconstantiam, si sine rationabili causa a religione discedat; ingrediens autem ex voto tenetur religionem probare, ac si invenerit illius condiciones sibi gratas, ex vi voti obligatur ad perseverantiam, nec posset ex sola ratione libertatis ad sæculum redire, et si sine rationabili causa redeat, peccat mortaliter ob voti prævaricationem: Fagnanus, *loc. cit.*, n. 71; Cajetan., in 2-2, quæst. ult., art. 4, in respons. ad 3 dub.; Navar., lib. III, consil. 23, num. 5, *De voto edit.* 2; Sanchez, *loc. cit.*, cap. 16, n. 90 et seq.; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Layman, *loc. cit.*, n. 12, vers. *Dico tertio*. (79. Si tamen bona fide ingressus, ex justa causa egrediatur, ut puta quia religio ipsi consentanea non videtur, vel ab ea dimittatur, tali voto omnino liberatur; satis est enim semel præstitisse quod promisit, nempe ingredi et experiri, an religio sibi conveniens sit, vel ipse religioni; cum annus probationis concessus, et statutus sit, tam in favorem novitii quam religionis, ut et ille asperitates istius, et ista mores illius valeat experiri, textu expresso in cit. cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Sanchez, *loc. cit.*, n. 105 et 108; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(80. Qui vero expresse vovit, non solum ingredi religionem, sed etiam profiteri, seu in ea perpetuo manere, ita astringitur voto, ut quamvis ei religio non usque adeo consentanea videatur, exire sponte nequeat, sicutque licet ex justa causa egrediatur, si tamen spes sit iterum receptum iri, tenetur adhuc ex voto iterum in eandem, sive in aliam ingredi, si religionem absolute et in genere voveat. Et ratio est, quia votum absolute conceptum non exstinguitur ob impedimentum temporale, sed tantum suspenditur, eoque impedimento cessante dictum votum denuo obligare incipit, ut patet de eo, qui ob morbum ex religione dimittitur, is enim postquam convaluit, iterum ingredi tenetur, si votum perseverandi, sive profitendi addiderat; non item si tantum votum ingrediendi atque experiendi: Navar., in *Manual.*, cap. 12, n. 46, et lib. III, consil. 21, n. 10, *De voto*; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(81. Qui absolute et expresse vovit, et religionem, et castitatem; si castitatem vovit principaliter et independenter a religione, is si ad religionem admissus non fuerit, vel ex ea iterum dimissus, vel ob aliam causam egressus, obligatur, adhuc voto castitatis.

Si vero religionem vovit principaliter, et castitatem solum accessorie et dependenter a religione, is liberatus a voto religionis, liberatur etiam a voto simplici castitatis accessorio, quia ruente principali, ruit accessorium; arg. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris, in 6, leg. *Nihil dolo* 129, § *Cum principalis*, ff. *De regul. juris*, et l. *Cum principalis* 178, ff. eod.; Navar., lib. III, cons. 13, *De voto*; Sa, verb. *Votum*, n. 29; Sanchez, cap. 16, n. 113; Layman, *loc. cit.*, sub n. 163, et alii passim.

(82. In dubio autem quonam modo talis voverit castitatem, an scilicet dependenter vel independenter a religione? Si neque ex verbis voventis, neque ex circumstantiis, conjectura capi possit post sufficientem diligentiam, tanquam in vero dubio poterit vovens eligere eum sensum voti, secundum quem minus obligatur, quique ipsi magis favet, nempe vovisse castitatem solum dependenter a religione, sicutque liberatum a voto religionis, liberatum etiam esse a voto simplici castitatis: Sanchez, *loc. cit.*, num. 114; Suarez, lib. IV, *De voto*, cap. 6, n. 6; Layman, *loc. cit.*, num. 14, vers. *Dubitant*; Sporer, *loc. cit.*, n. 163 in fine, et alii passim.

(83. Qui post dictum votum religionis ingrediendæ et profitendæ, episcopatum suscepit, est voti transgressor, et episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet, cap. *Per tuas* 10, *De voto* et voti redemptione: ubi proposito hoc casu ab episcopo Gratianopolitano, Innocentius III respondit: « Tuæ discretioni consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesiæ resignes memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua: » Cui canonice inherens S. Thomas 2-2, quæst. 189, art. 3 ad 1, sic expresse dicit: « In foro conscientie esset sibi consulendum, quod omnibus dimissis, religionem intraret, unde *De voto* et voti redemptione, cap. *Per tuas*, consultitur episcopo Gratianopolitano, qui post votum religionis episcopatum assumpserat, voto non impleto, ut si suam sanare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, et redderet Altissimo vota sua: » et sic tenent Fagnanus, in cap. *Sane* 10, num. 68, *De regularibus*, Layman, *loc. cit.*, num. 15, cum Cajetano, Angelo, Miranda, Silvestro, Tabiena, Sanchez, Azorio, Lessio, ibi citatis, et alii passim contra paucos. Intellege tamen nisi Papa dispenset.

(84. Astrictus voto religionis, si contrahat matrimonium, mortua conjuge, tenetur religionem ingredi; dummodo non sit inhabilis effectus propter infirmitatem, vel ætatem. *Communis*. Et ratio est, quia nuptiæ illicite celebratæ non exstinxerunt obligationem voti, nec ullus de sua malitia commodum reportare debet, cap. *Intelleximus* 7, *De judiciis*, leg. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De regul. juris*; secus autem si jam factus esset inhabilis, quia impossibilitatem nulla est obligatio, l. *Impossibilitatem* 185, ff. *De regul. jur.*, et c. *Nemo potest*, 6, *De regul. jur.*, in 6.

(85. Qui est aliquo voto simplici obstri-